



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De regum sobole. xxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

inutilis in rebus commissis extiterit, in clementiæ vestræ manu posteritatis nutu constet huiusmodi moderatio. Fas est enim indubium deducero ius potestatis, cui omnium gubernatio superno constat delegata iudicio. Quod si post eius discessum quispiam repertus fuerit vitæ fuisse infidelis, quicquid largitate ipsius in rebus habuit, conquisitis careat, confiscandum, & fidelibus largiendum.

De regum sobole. Cap. XXVIII.

Sicut insolentia malorum regum odiosa semper & execrabilis existit subiectis: ita bonorum prouida utilitas amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat, aut quis talem errantem Christianum videat, qui regiam sobolem, aut posteritatem conetur expoliare rebus, aut priuare dignitatibus: Quod deinde ne fiat, generalis promatur principis filii sententia nostra, id est, de præsentis excellentissimi Cutilani regis posteritate dentur apta à nobis decreta, vt ea quæ synodus præterito anno in hac Ecclesia habita constituit, circa omnem posteritatem eius vniuersitas regni sui conseruet, hoc est, vt præbearur filiis eius dilectio benigna & firma, & tribuantur, vbi loci opportunitas exhibuerit, defensiones ad adminicula iusta: ne de rebus iustè profligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate principum aut alicuius impensis, aut etiam pro pietate debitis, fraudentur qualibet insidia calliditatis, nève à quoquam ledendi eos præbeantur argumenta machinationis: quia dignum est, vt cuius regimine habemus securitatem, eius posteritati decreto concilij impertiamus quietem.

Quod quicquid commotus animus fecerit, hoc iustum puter. Cap. XXIX.

Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimo domino in omne quod agit & loquitur purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus, in hac suggestione mea, neque vt episcopus, neque vt seruus iure reipublicæ sed iure priuatæ loquor, quia serenissime domine, & illo iam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Illa præpositorum sollicitudo utilis, illa est clautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quicquam agendum prius, quàm concitata ad tran-

*Ex eodē.
cap. 16.*

*Ex rege.
Greg. ad
Mauri-
cium Au-
gustum,
cap. 213,*